



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 91. Bernardinus Ochinus Tigurinus Minister.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

ibidem suæ doctrinæ specimina ederet, atque opere demonstraret, quod ejus amici opem tanti Viri haud incassum implorassent: itaque Valentinus in hoc congressu propugnabat, quod Deus ab æterno creaverit Spiritum excellentem, ac mirabilem, qui in plenitudine temporum incarnatus est: porro hæc erat genuina Arii doctrina: postquam igitur Valentinus amplis verbis suam scientiam jactitaverat, omnes suos errores in unum collectos Sigismundo Augusto Regi veluti puriores Evangelii veritates porrigebat, atque indignum profusus in modum de Symbolo Sancti Athanasii locutus erat, illudque Sathanæ Symbolum appellitabat.

§. XCI.

*Bernardinus Ochinus Tigurinus  
Minister.*

*Vide lib.  
CXL. §.  
LVIII. &  
LX.*

Interea jam ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto celebris ille Bernardinus Ochinus, cujus sæpius meminimus, Tiguri morabatur, ibidemque Ministrum agebat Italæ Ecclesiæ recens conflatae, ac præcipue compositæ ex quibusdam viris Lucerno profugis, qui spuria reformationis dogmata profitendi libertatem in sua patria obtinere non poterant, eo quod Catholici Helvetiæ Pagi sese illis

oppo-

opposuissent: cum autem Magistratus optime nosset versatilem in Religione animum præfati Ochini, qui antea egit Capuccinum, postea Lutheramum, dein Calvinistam, Sacramentarium, Anabaptistam, Arianum, & denique illam, quam temporis vicissitudo deposcebat, sectam profitebatur, hinc Magistratus eidem Ecclesiæ suæ possessionem permittere renuebat, nisi prius Tigurinæ fidei professioni subscripsisset, quod tamen absque difficultate, non tamen sine perjurio præstabat.

§. XCII.

*Triginta Dialogi ab Ochino typis editi.*

Vix Ochinus in Ecclesiæ suæ possessionem admissus est, dum illico suos errores cum summa arrogantia prædicavit, librosque insulsis deliriis repletos typis edi curavit, quos inter merito recensentur triginta ejus Dialogi, qui Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ejus jussu typis editi opinionibus absurdissimis scatent. Divisi sunt illi in duos libros, quorum primus octodecim Dialogos complectens de Missa, alter vero tractatus de Trinitate, pluribusque aliis materiis in idiomate latino conscriptis agit: porro primum librum Ochinus nuncupabat *Betfordiæ Comiti*, alterum vero *Philippo Nicæ*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Sandius in  
Bibl. Antitr.  
p. 4. 5.